



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Collegiis Canonicorvm Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Collegivm Neo-Ecclesiense.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

190 DE CANONICORVM  
SANCTAE MARIAE COLLEGIVM  
Veriense.

**V**era siue Veria opidum est Zelandiæ,  
quod vna cum Vlissinga, à Carolo V.  
ornatum est titulo Marchionatus. Veriense  
collegium canonicorum instituit *Henricus de  
Borsele*. Dominus Veriensis & comes de  
Grand prè anno 1474. Habitarunt autem  
olim canonici isti in *Zandtbych*, pago Domini  
Veriensis.

TOLENSE COLLEGIVM.

**T**Olæ, quæ vna est Zelandicarum Insula-  
rum, canonicatus aliquot instituit *Io-  
annes Bellimontius*, comes Boloniensis, filius  
Joannis comitis Hannoniæ, Hollandiæ, &  
Zelandiæ, Frisiæ, circa annum 1305.

SANCTI MARTINI AGGERENSE  
Collegium.

**I**N Aggere Sancti Martini, vulgò *S. Martens  
dyel* Zelandiæ municipio, collegium ca-  
nonicorum fundauit *Florentinus de Bersela*, eius  
loci Dominus, eiusque coniunx *Maria de Ber-  
gis*, anno 1400. Auxit postea præbendas *Fri-  
dericus de Bersela* anno circiter millesimo qua-  
dringentesimo quinquagesimo.

COLLEGIVM NEO-ECCLESIENSE.

**I**N Neo-Ecclesia, vulgò *Nyeutlerkerck*, Du-  
uelandiæ Insulæ vico, collegium canoni-  
corum

corum fundauit *Anna Burgundica* vidua Adolphi Cluensis, Domini de Rauenstein, circa annum millesimum quadringentesimum nonagesimum.

## CAPELLENSE COLLEGIVM

**I**N Zuytbeuerlandia Zelandiæ Insula, in Capellen dicto, collegium XI. Canonicorū fundarunt *Anna Burgundica & Colardus Dominus de Likerclien* anno circiter millesimo quingentesimo tertio.

## CAPVT CIV.

ESSINGENSE COLLEGIVM IN  
Bauaria.

**I**N vico Eßing, sub arce Randeck, id fundauit *Ulricus senior de Abensperg*, vnà cum filijs suis, *Dietrico*, Canonico Ratisbonensi, *Ioanne*, *Ulrico*, *Alberto*, & *VVillelmo*, constituitque ibi sex Canonicos sacerdotes. Fundauit simul xenodochium, in quo duodecim valetudinariæ personæ sustententur. Ius verò præsentandi illas personas reseruauit maximo natu suę familiæ, vt testantur litteræ fundationis datæ anno 1367. Auentinus ponit septem Canonicos, & annum 1363. sed verisimilior est copia Litterarum dictarum.

Ad predictā fundationem dederunt aliqua prædia & bona *VVolffhart ab Ouensteten*, *Berchtholdus Ulranier*, & *Albertus ab Erlach*, vt testatur litteræ